Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

circumdatus. iacens fortius pulsabatur. quadamodo videre de
siderans quis horrebat. et sollicitus oculis huc illucque circum
spiciens, cum interim ex inpulso splendente luna cernit
redam ferventibus equis super se irruere. Cumque inclamasset
ihesum, ante oculos eius repentino terre hiatu pompa omnis ab
sorta est. Tunc ille ait, Equum et ascensorem proiecit in mare.
et hii in curribus et hii in equis. nos autem in nomine dei nostri
magnificabimur. Multe sunt temptationes eius et die noctuque varie
demonum insidie. quas si omnes narrare velim, modum excedam
voluminis. quotiens illi nude mulieres cubanti. quoti
ens esurienti largissime apparuere dapes. Interdum oran
tem lupus ululans et vulpecula gannitiens transilivit. psallentique gla
diatorum pugna spectaculum prebuit. ut unus quasi interfectus. et ante pedes
illius corruens sepulturam rogavit. Orabat semel fixo in
terram capite. et ut natura fert hominum abducta ab ora
tione mens nescio quid aliud cogitabat. cum statim insiliuit
dorso eius festinus agitator. et latera calcibus cervicem fla
gello verberans. eia inquit eia curre. cur dormitas. Ca
chinnansque de super si defecisset. an ordeum vellet accipe
re, sciscitabatur. Igitur a xvi usque ad xx etatis sue annum estus.
et pluvias brevi tuguriunculo declinavit. quod iunco et
carice texerat. exstructa deinceps brevi cellula que
usque hodie permanet. latitudine pedum iiii. altitudine
autem pedum v. hoc est statura sua humiliore. longitudi
ne porro ampliore quam eius corpusculum patiebatur. ut sepul
chrum